

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**Epistolæ obscvrorvm virorvm**

cvm inlvstrantibvs adversariisqve scriptis

Textvs

**Hutten, Ulrich von**

**Lipsiæ, 1864**

Duo de monachis carmina

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-976](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:468-1-976)

[Ne ad perpetuum otium hæc pagina damnetur, eam duo de monachis carmina in se suscipere decretum est ex 'Querela fidei desumpta, quæ legitur in Passquillorum tomis [Ind. bibl. Hutt. n. 55, i.] p. 103...105. Valentinus Curio p. 99. [94. per err.] præmonuit "Ad lectorem. Libuit hic subiicere Querelam de fide, pii et spiritualis cuiuspiam Parochi, ut videtur, ante hoc nostrum seculum nuper in Germania repertam, ut videoas, optime Lector, etiam ante nos fuisse semper in Ecclesia aliquot pios et sanctos viros, qui cum publice non auderent suum spiritum et sensum profiteri, tamen in angulis suis ... suum dolorem extillaverunt, et visitationis diem expectaverunt". Præter interpunctionem nihil emendavi, nisi quod 'perorare' scripsi pro falso 'pro orare'.]

## DE MONACHIS.

Item qui in claustris degunt,  
Iuxta normam se non regunt,  
Quam patres instituerunt,  
Sed quæ vetita sunt querunt;  
Vestes deferunt claustrales,  
Sed in mente non sunt tales:  
Namque sub religiosa  
Veste latet mens dolosa;

Rixas, lites et rancores  
Habent inter se maiores  
Monachi et Moniales  
Quam personæ mundiales.  
Qui vult Satanæ servire,  
Clastrum debet introire:  
Mali cogunt ibi bonos,  
Ut cantent eorum tonos.

## DE MONACHIS MENDICANTIBVS.

Item fratres mendicantes  
Omnes fere sunt truffantes:  
Parent nam quod sint devoti,  
Cum sint tamen nequam toti:  
Quicquid prædicant sermone,  
Raro complent actione;  
Metunt, ubi nusquam serunt,  
Semper plus quam sua querunt;  
Oves alienas tondunt,  
Et parochias confundunt,  
Dantibus applaudunt care,  
Sed qui nihil possunt dare  
Vel replere eis manum,  
Illos mittunt ad Plebanum.  
Pulchre perorare sciunt,  
His qui credunt capti fiunt:  
Per verborum apparatum

Aures penetrant magnatum.  
Valde diligenter notant  
Ubi divites ægrotant:  
Ibi currunt, nec cessabunt  
Donec ipsos tumulabunt;  
Sed ad casas miserorum  
Nullus ire vult eorum.  
Puto vero quod prodesset,  
Si in mundo nullus esset  
Monachus vel Monialis,  
Sive secta Begynnalis:  
Postquam enim sic creverunt,  
Lex et fides perierunt,  
Et totius mundi status  
Est in malum commutatus.  
Utrum culpa sit eorum,  
Noscit conditor cunctorum.